



LVDOVICVS LODRONIVS.
 Vdouicus ex illustri familia Lodroniorum natus est, qui suas possessiones iuxta fluuium Adthesim in faucibus, qua iter in Italiam ex Germania patet, habent. Erat is magna fortitudine et rara prudenter insignis. Itaque primo Maximiliani Cæsaris, postea etiam Caroli 5. castra in Italia securus, ob rei bellice peritiam ordines duxit, ac sibi magnam gloriam comparauit. Par ratione & Ferdinando regi contra Turcam fortiter multoties adfuit. Cum autem Solymannus Turca Vaiuodæ regnum Hungariae confirmasset, atque Ferdinandus id recuperare statuisset, etiam Ludouicus cum alpestribus milittibus in Hungariā uenit, & pedestribus copijs praefectus fuit 1537. Erat tum Cazzianus summus Ferdinandicus dux. Cum autem ad Exechium res Christianorum in sumnum discrimen esset adductum, Cazzianus cum multis alijs auffugit, atque postea Turcae partes securus est. Id cum milites Lodronio significassent, suos hortatus est, ut fortiter resisterent, neque inulti succumberet. Vnde equites qui supererant, atque peditū praefecti eum summū belli ducem constituere, quam tamē prouincia ipse modestè recusans, uix tandem suscepit. Cum is milites cōsolaretur, quidā senex gregarius miles inquit: O Lodroni uideo te bono animo esse, & in equo sedere, ut de fuga circumspicerem queas. Tum ille subridens, descendit, et equo neruos incidit, reliquos etiam egrotis milittibus dono dedit. Interea Turca cū instructo exercitu superuenit. Ibi Lodronius magna uirtute pugnauit, & tandem omnibus circumuentis, & maiorī ex parte trucidatis, Turcarū petitione se & superstites, uitā pactus, dedidit. Cum autem ipse grauius vulneratus esset, ut uix Constantinopolim uiuus deferri posset, Turcae eum truncarunt, & caput Solymanno transmiserunt, id quod ipse in æneo pelui magna admiratione uirtutis inspexit. Vir ille immortali gloria dignus, quia in tanta Christianorum calamitate, cum effugere equi beneficio potuisset, permanserit, & Turcis cruenta uictoriam reliquerit. P. l. o. viii lib. 36.